Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 157

Quelle:
Copyright:

VII. ſunt, id eſt Infantia Pueritia Adoleſcentia Juuentus Grauitas Seneƈtus. Infantia tendit vsque ad VII. annum. Pueritia ad XIV. Adoleſcentia ad XXVIII. Juuentus ad L. Grauitas ad LXX. Seneƈtus eſt quę nullo annorum tempore finitur, ſed poſt illas V. etates quantumcunque eſt uitę, ſeneƈtuti deputatur. Senium eſt ultima pars ſeneƈutis, dicta, quod ſit terminus ſextę etatis. Poſtremum hoc inniti videtur *Pſalmo* LXX. v. 18. *Usque in ſeneƈtam et ſenium*, ubi tamen Hebraeus שִׂיבָה, Graecus Πρεσβειον habet. Dein ſequuntur X. *Genera Metallorum*, puta: *Aurum, Argentum, Auricalcum, Stannum, Plectrum, Plumbum, Aes, Cuprum, Calibs, Ferrum.* Ad *Plectrum* obſervo deſignari vernaculum noſtrum *Blech*, Belgis et Suecis *Bleck*, fortaſſe a Graeco Πλαξ, quod generatim materiem adtenuatam, Laminam notat. Unde rectius exponas in Carmine *Ermoldi Nigelli*, quae vocat, *aurea Plectra* (Goldblech) quam quidem viſum *Muratorio* T. II. *Rer. Ital.* P. 2. et novis Editoribus *Gloſſarii Ducang*. Demum accedit hic Verſus:

Qu)os ang)uis di)rus tri)ſti mulce)dine ſtra)uit.
H)os Sang)uis mi)rus chri)ſti dulce)dine la)uit.

cui ſubſcriptum: *Anno domini M° CCC° LXIII° in oƈtaua innocentum frater ch. Tanſaig ſcripſit ſupradiƈtos uerſus.* Ab hac manu etiam *Metalla* ſunt; ſed Nota de *Aetatibus* Codici συγχρονος eſt.

CVIII.

U. 562 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 38. 8. nitidiſſime exaratus complectitur I. Textum *Apocalypſeos* laxius ſcriptum ad recipiendam *Gloſſam interlinearem*, margine exteriore comitatum *Gloſſa ordinaria.* Utriusque *Gloſſae* character tam minutus eſt, ut acutiſſimum Librarii viſum mireris. Caput XIV. cum fine XIII. et initio XV. excidit.

II. *fol.* 15. accedit Expoſitio VII. *Epiſtolarum Canonicarum*, cujus Prooemium incipit: *Jacobus. Petrus. Judas. Johannes VII. epiſtolas ediderunt, quas eccleſiaſtica conſuetudo uocat catholicas. i. uniuerſales. i. a fide uniuerſalis eccleſię non diſcrepantes. uel canonicas. i. regulares. i. in fide et tolerantia perſecutionum. plurimisque uirtutibus eccleſiam regentes* &c. Initium ipſius Expoſitionis: *Ego iacobus ſeruus dei. i. creatoris et domini omnium potentialiter. noſtri autem i. apoſtolorum per excellentiam* &c. Igitur non habetur Textus ipſe continuus, ſed particulatim, ut Gloſſatorum uſus fuit. Omnia vero characƈtere non multo majore, quam *Gloſſae Apocalypſeos*, exarata ſunt. In expoſitione dupli-